



Sammelband 079

Index locorum in hoc volumine
explicatorum

- nr. 29 Pf. LXXXIV.
4. Matth. II. 17. 18.
28 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
20 Epist. V. 23.
18 Gal. I. 34.
11 Col. II. 14. 15.
23 Cor. XIII. 2.
26 1 Petr. III. 18.
38 2 Petr. I. 19.
6 Iud. 9.
38 Apoc. XII. 16.

25
15

ANIMADVERSIONVM
IN
DAEMONOLOGIAM
GENTILIVM
SPECIMEN.

PROGRAMMA
FESTO MICHAELIS
A. R. S. MDCCLXI.

IN
ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII
TYPIS VID. P. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.

ANATOMIA
DE
DIAETMONOLOGIA
DE
M. F. L. V. M.

PROGRANNA
P. S. T. O. M. I. C. H. A. E. L. L. I. S.
A. R. S. M. E. D. I. C. A. E.

ACADEMIA IURIS CAESARIS

WILHELMUS
FRANCISCAE A. CAESARIS A. R. S. M. E. D. I. C. A. E.



ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
PRORECTOR
IO· GEORG· ALB· KIPPING
CIVIBVS DILECTISSIMIS

S· P· D·

Pio sane consilio ecclesia Christiana festos aliquos
et solemnes habere dies instituit, quibus praeci-
pua summi Numinis clementiae documenta gra-
ta et deuota mente recoleret. Et si enim nullum o-
mnino diem gratisimae inaeestimabilium Dei in nos colla-
torum beneficiorum recordationis intermissione vacu-
um fieri oportet, constat tamen, iis, quae ad exhibendum
aeterno rerum Moderatori deuotissimum cultum per-
tinent, publico in coetu statisque diebus perpetrandis
ipsum pietatis studium magnopere posse adaugeri atque
accendi. Igitur, quae diuinissimi plane erga humanum
genus amoris testimonia veneramus, primum quod

A 2

beni-



IV

benignissimus Redemptor noster relicto aeterno domicilio has in terras descendit, et hac miseriarum plena humana natura adscita diuinis legibus morem nostro nomine sanctissime gessit; immo ut poenis, quibus debebamur, rite nos exsolueret, acerbissimam mortem obiit, posteaque, perfecto satisfactionis opere, uti certiores nos de aeterna, quam nobis iam promeruerat, vita redderet, has terras, priusquam coelum repeteret, iterum inuisere non dedignatus est; denique illud, quo Spiritus sanctus primum Christianorum coetum virtute sua diuinitus instruxit et impleuit, admirandum opus: haecce maxima incolumitatis nostrae monumenta quo diligentius possent perpendere, statis diebus publice eorum memoriam redintegrare voluerunt maiores. Accesserunt dein simili pietatis studio festi dies alii; nonnulli praeclarissimorum, qui coetum Christianorum doctrina et moribus ornauerant, hominum memoriae dicati eo consilio, ut praestantissimis virtutum exemplis ob oculos positis formare se in mores optimorum virorum cuperent posterius: omnes vero in vniuersum mentibus a terrenis curis ad diuinarum rerum contemplationem reuocandis consecrati.

Quod Augusto Michaelis siue principis angelorum nomine insignitur, cuique pie concelebrando iam
iam

V.
iam accingimur, festum eo sine institutum esse iudicamus, vt inter caetera summi Numinis beneficia hoc quoque, quod angelorum ministerio continetur, grata mente sustinere edocerentur homines. Esse enim maiores quidam et praestantiores nobis naturas, non huic veluti glebae adscriptas, sed illustrioribus mentis viribus praeditas et in ampliori quasi theatro versantes, quibusque hoc inter caetera diuino consilio munus concessum sit, vt mortalium rebus tuendis adsint; sibi quidem relicta ratio non omnino adsequitur, verum coniecturis tantum velut e longinquo prospicit: haec autem, quae verius dicitur ratio, diuinarum litterarum monumentis instructa et erudita habet exploratissimum. Maiorum itaque pietas hoc etiam in beneficium loco merito collocatum diuini fauoris documentum grata mente venerari voluit, eoque consilio diem Principi angelorum nuncupauit. Hunc quidem qualem esse iudicauerint Veteres Christiani, non hodie demum in dubium est reuocatum. (*) Verissimum tamen iudicamus, illum, cui instans festum di-

A 3

ca-

(*) Loca S. S. in quibus Michaelis sit mentio, partim de creato quodam spiritu, partim de ipso Dei filio agere visa interpretibus, extant Daniel. X, 13, 21. XII, 1. Iud. 9. Apocalypf. XII, 7. Vid. praestantissimi *Wolphi Cur. philol.* in postrema duo loca.

VI

catum est, angelorum Principem Michaelē eundem esse, quem omnium creaturarum ab aeterno patre principem et regem constitutum, quin ipsius vitae principem adoramus, Dominum nostrum et redemptorem Iesum Christum. Caeterum huius rei argumenta, ab aliis iam excussa, heic praeterire liceat.

Ipsa vero festi ratio eo spectat certissime, eam ut veneremur summi Numinis clementiam, quae praeflantes illos sub vnius Regis et Domini Iesu Christi auspicii munia sua obeuntes spiritus nostris quoque commodis inservire iussit. Neque vero alienum quid aut intempestivum moliri nobis videtur, hac data occasione in earum, quae remotae a veritate olim fuerunt et partim adhuc sunt, gentium sententias de angelis aut spiritibus ab humana natura diversis inquiri. Hanc enim disquisitionem ad pietatis studium, ad quod hoc ipso tempore pro paterno nostro in Vos affectu adhortandos Vos habemus, o Nostri! parum aut nihil conferre, haud sane dixerit, quisquis animo reputare voluerit, multos olim Christianorum a gentiliū consortio haud mediocribus hac in re infectos fuisse erroribus, et hodie nonnullos in iisdem versari. Sed nos, pro praesentis scripti ratione, de multis pauca decerpemus.

Spi-

Spirituum ab iis, quae humanis corporibus circumdatae sunt, mentibus diuersorum notitiam non quidem ratiocinii ope consequutos esse gentiles, verum ex ore maiorum hausisse, certi sumus. Constat enim Deum primis humani generis parentibus eam dilargitum esse scientiam, qua carentes ne minimae quidem felicitatis compotes fieri potuissent. Huius diuinitus traditae sapientiae fines in uniuersum quidem describere non possumus; id tamen constat, nullas eo pertinuisse veritates, quae iamiam inter philosophicas merito referuntur, utpote quas maiorum opera instructi solo rationis usu percipere nos valemus: item et alias, quae, quod ratiociniorum ope erui a nobis nequeunt, in reuelatarum numero semper sunt habendae. Posterioris generis fuisse aliquam de angelis notitiam nulli dubitamus. Fidem enim faciunt sacrae litterae, Deum primis humani generis temporibus mandata sua ad homines nonnumquam ab angelis perferri curauisse. Ita vero cum sit, plane necessum fuit homines illarum praeflantium naturarum noticia quamprimum instructos esse. Eam, nisi ab ipso Numine traditam, habere non poterant. Ipsos porro cum totius humani generis parentes, tum aetate illis proximos gentiumque auctores inter caeteras scientiae, qua pollebant, partes hanc quoque cum liberis communicasse, consentaneum est. Poste-

VIII

ri vero hac, vt reliquis, quas a maioribus traditas acceperant, scientiae partibus, misere sunt abusi.

Daemonum potissimum vocabulo vsi sunt Graeci et eorum litteris imbuti Romani, cum de Spiritibus ab humanis mentibus diuersis verba facere vellent. Inconstans equidem et varius vocabuli vsus fuit, ita, vt nonnunquam ipsum Deum *δαίμων* dixerint. (*) Proprium tamen significatum plurimorum auctorum consensus et ipsa dicendi ratio efficiunt eum, quem modo indicauimus. Caeterum, quae de natura Daemonum tradiderunt, eiusmodi sunt, vt vix vlla in parte philosophiae grauiores errores commissos esse dixeris,

Primum id, licet alias satis iam notum et exploratum, silentio praeterire non possumus, omnes, nullo excepto, gentium Philosophos in eo errore fuisse, vt quas incorporeas, et vt Ciceronis dictione vtamur, ab omni concretionem segregatas esse Daemonum naturas perhibebant, attamen a corporibus vel materia non satis caute discernent. Quae de ignea deue aerea
spi-

(*) Ita in fragmentis Orphicis, apud Proclum in Comm. ad Timaeum Platonis L. II. vocabulum hoc interpretari conuenit: "Ἐν ἡμέρας, ἔς δαίμων γενεῶν, μέγας ἀρχὴς ἀνάστασιν. Similia sunt apud Homerum,

spirituum natura tradiderunt, ne utinam pro solis ornamentis sententiarum habenda sunt; quin potius, qui ad opinionem eorum vere pertraxerunt, fateantur; necesse est, Philosophis tam barbararum gentium, quam graecis persuasum fuisse, spiritus omnes subtili quadam vel ignea vel aetherea materia constare. Nec de ipso summo Numine sanius sentiebant. Adeoque videmus Veteres, de ortu spirituum differentes, ita rem explicasse, ut non tam a Deo creatos, quam potius ex ipsa Numinis substantia prodiisse perhiberent. (*)

Adparet, homines, qui cum caeteris mundi partibus spirituales quoque naturas a Deo, totius auctore naturae, factas acceperant, rationem diuini operis vsque adeo non perspexisse, ut, quos a Deo creatos dicere oportebat, e Deo creatos vel editos autumarent. Singulorum eorumque perniciosissimorum, qui ex vno hoc enati sunt, errorum enarratione iam superfedemus.

Vnum,

(*) Haecit hac sententia omnibus fere Veterum Philosophis, quorum ad nos peruenerunt monumenta, exceptis Leucippi, Democriti et Epicuri scholis, quae tamen ne ipsae quidem veritatem rei perspexerunt; sed in diuersum a reliquis errorem abreptae sunt. De Scepticis referre nihil attinet.

B

XI

Vnum, exempli loco futurum, proponere liceat. Simili ratione, ac nonnullos eosque primos spiritus ex ipsa Dei substantia tamquam e fonte profuisse crediderant, alios subinde ab his procreatos rebantur. Ita Gnosticos genesin spirituum, quos *divinæ* vocabant, descripsisse constat. Et nostra ætate barbaras gentes similibus nugis operam dare compertum habemus. Indi quidem integra geniorum agmina isto modo procreata esse somniant. Et, quæ in ultimis Scythiæ frigidibus degunt, gentes malos genios sui similem sobolem subinde procreare, ex eisdem Philosophiæ principii vel potius deliramentis hauserunt. (*)

Longe vero maxima errorum series ea est, quæ ex falsa gentium de ministerio angelorum s. spirituum opinione ortum duxit. Adeo verum esse deprehendimus, nusquam procliviores ad errorem esse homines, quam sicubi ad aliqua veritatis vestigia acceperunt eaque incogitanter transcurrere ceperunt. Spiritus, quamprimum vivere, i. e. esse inceperint, quaedam propriæ efficacitatis documenta edere, corpora vero sibi relicta quiescere, haud sane magno negotio animaduerterant Veteres. Atque hoc illud est, quod Cicero

(*) De his egit præstantissimus scriptor, *Io. Ge. Gmelin* in *Itinerario Sibirico*, T. II.

ceo iudicare voluit, cum animum vel mentem huma-
 nam, cuius hoc in negotio par cum spiritibus est ratio,
 ipsam a se moueri, corpora vero aliunde agitari perhi-
 buit. (*) Tum vero praecipiti iudicio corpora propria
 vi omni destituta esse concludebant antiquissimi Orien-
 tis Philosophi, quique hos sequuti sunt Graeci (**). Ita-
 que nullum non corporum motum, et quidquid rerum
 in orbe terrarum geritur, ad spirituum operationes re-
 tulerunt, corpora prorsus inertia et resistendi vi vnice
 praedita esse persuasi. Idem ille error recentiorum non-
 nullis aridere videtur, licet alia de causa in eum in-
 ductis. Etenim vsitatam Philosophis dictionem, *inertiae*
vis, cuius verus sensus haudquaquam in verbis vertitur,
 nimis anxie ex verbis interpretatos esse credimus. (***)
 Veteres vero illo, quem indicauimus, modo in errorem

delat-

(*) Mira haec ingenii copia vel potius errandi licentia pro-
 posuit in *Somnio Scipionis*, C. VIII. IX. ita, vt reli-
 qua istius somni vigil elaborasse, haec somnians sibi
 fixisse, videri queat.

(**) Sane huius doctrinae taedio aliter de corporibus statuit
 Democriti et Epicuri cohors, sed ad veritatem propius
 nequaquam accessit, verum ad diuersum errorem con-
 uersa est.

(***) Ita nuperus scriptor, *Boullerus*.



delapsi mirificam plane mundi constitutionem sibi finxerunt, ita, ut qui sagacissimi viri sunt, ipsas Mechanicæ scientiæ leges et, qui ex illarum præscripto fieri consueverunt, corporum effectus ad spirituum operationes vel potentiam vnice referrent. Pythagoræ certe, Platoni et Aristoteli, Philosophorum principibus, hæc placuerunt. Neque longo intervallo ab his distant Stoicorum placita; siquidem et hi per Deos minores aut Daemones, summi Dei administratos, omnia in mundo universo peragi ac omnino perfici voluerunt. Et nostros Celtas in fontibus, antris nemorumque recessibus non gubernantis cuncta Numinis vestigia, sed ipsa minora sua Numina quaerentes idem error tenuit. Denique non solum Pantheismo, qui dicitur, addicti, verum et qui duo rerum diuersa principia, Deum et materiam, perhibuerunt, vbiuis Daemones, eosque summi Dei particulas adesse motumque in corporibus cære comprobare adnisi sunt.

Spiritus porro, quos finitos philosophica adpellatione nominamus, non omnes bonæ indolis esse itidem a maioribus traditum acceperant Veteres. Quæ doctrina perinde ad errores sunt abusi multarum gentium magistri. Primum, quidquid mali in mundo universo deprehendebant vel etiam deprehendisse sibi per-

suaserant, horum opera factum esse rebantur: ea potissimum, quae hominibus euenire videbant, incommoda nullam fere aliam ad causam referebant. Ita v. c. de morbis non Orientis solum gentes, Aegyptii praesertim, (*) verum etiam Graeci et Romani, qui soli tamen se pere sibi visi sunt, iudicauerunt.

Tantum spirituum vel Daemonum potentiam falso perhibentes Veteres a vero Numinis cultu misere aberrauerunt. Hanc enim opinionem inter principes Idololatriae causas referendam esse, nemo ignorat. Homines, summa quaeuis ipsamque Numinis maiestatem ac potentiam nostrarum rerum mediocritate permetientes Deum instar magni cuiusdam Regis singularum imperii sui partium curam inter quamplurimos Daemones distribuisse credebant, ita, ut Ipse in celsissima pulcherrimaque mundi parte tamquam regia aut palatio sibi exstructo perpetua quiete frueretur, neque ad ipsum subditis aditus facile pateret. Consultius itaque iudicabant, illos, quasi satrapas, adire Daemones vel Deos minorum gentium, horumque, utpote qui proprie nostrarum rerum curam gererent, gratiam sibi conciliare. Neque hic sibi defuit hominum temeritas, sed, quae sacrificia Deus symbola satisfactionis ab

B 3

ado-

(*) *Origenes contra Celsum, L. VIII.*

XIV

adorando Redemptore olim praestandae esse hocque v-
 nice scopo a maioribus administrari iusserat, iis ad
 promerendum Daemonum fauorem abusi sunt. Quae
 cum iis, quos bonos esse ducebant, non displicere se-
 mel credidissent, eo tandem vecordiae processerunt,
 vt malos quoque Daemones aut genios simili ratione
 placare conarentur. Ita v. c. Romani, cum febris diui-
 nos honores decernerent, hoc videntur habuisse pro-
 positum, vt malum, qui febres immittere consueuisset
 hominibus, genium templi dedicatione et victimis
 caedendis delinirent. Nisi credere malis, eos febrem, vt
 salutare morbi genus, ad boni Daemonis opera retulisse.
 Sed hoc magis ingeniose, quam vere quis dixerit.

Magis quoque artibus, imo nugis potius, haud
 aliam fuisse originem censemus. Et de his paullo proli-
 xius dicere liceat. Chaldaeorum philosophia, venerandae
 antiquitatis nomine plus iusto commendata, et iis, quos
 antea exposuimus erroribus et hoc, quem modo indi-
 cauimus, tota referta videtur. Haud equidem igna-
 ri sumus, multa, quae de Chaldaeis aliisque veteris aeui
 gentibus relata legimus, ab Alexandrinis illis siue, vti
 vocari maluerunt, eclecticis Philosophis excogitata fal-
 soque antiquitatis praescripto titulo venditata esse: o-
 mnem tamen iis fidem detrahere nequimus. Quip-

pe, cum et aliunde nobis constet, Magiae inepto ac nefando studio deditos fuisse Chaldaeos, (*) enarrantibus hoc ipsum Iamblicho, (**) Porphyrio (***) et Proclo (****) refragari salua historicae fidei auctoritate non licet. Videntur quidem prae se tulisse Chaldaei, non captandae malorum geniorum gratiae, sed impetrando aduersum hos bonorum auxilio Magicis artibus operam sese dare. Quin imò augustum his nugis *Θεσγυας* nomen se imposuisse autumabant: sed frustra. Namque haec, quam credebant, doctrina primo quidem loco infamis haberi meretur, quòd bonos genios superstitionum ope rituum ad peculiare quoddam hominibus praestandum auxilium pertrahi posse perhibuit; quo errore duo simul continentur, cum et maiores in constitutione

ac

(*) v. *Luciani Necyomantia* s. *Menippus*, circa quem libellum monemus, Luciano quidem, vt Chaldaeorum Magiam exacte describeret, curae non fuisse; quis enim ferat Babylonium hominem Mithrobarzanem Herculis, Vlyssis Orpheique nomina crepantem? sed utcumque negligenter haec descripserit Lucianus, de salibus narrationi adspargendis vnice sollicitus, idoneus tamen testis iudicandus est ad probanda ea, quae diximus, eo nomine, quod ante natam eclecticam Philosophiam de Chaldaeorum magicis studiis scripsit.

(**) *de mysteriis Aegyptior.* Sect. III.

(***) *de Abstinent.* S. 45. 46.

(****) *in Comm. ad Alcibiad. Plat.* passim,

XVI

ac regimine mundi vires spiritibus illis attribuat, quam par est, et minores: porro malis geniis nimiam longe potentiam in rerum vniuerso affinxit: denique hisdem deliramentis, quae reprimendae prauorum Daemonum malitiae idonea esse ducebant magici praestigiatores, compelli eos posse crediderunt, vt vel inuidi commodis hominum inferuient.

Hoc, quod vltimo loco diximus, aliarum gentium praua imitatio comprobat. Pauca exempla protulisse sufficiat. Nugacissima veterum gentium, Aegyptii, toti in eo fuerunt, vt expugnandae Daemonum malignitati praestigia adhiberent, ridicula leuis plebeculae terculamenta futura, nisi ob ingens, cuius causa fuerunt, superstitionis augmentum abominanda potius dicenda essent impietas. De his quidem doctus alias vir *Gilb. Gaulminus*, credulus nimis *Iamblicho*, mira, quin absona potius opinatus est: (*) ipsum vero magi-

ca -

(*) in *Not. ad vitam Moysi*, L. I. c. II. Iamblichus retulerat Aegyptiorum Magos in adytis colere singulorum animantium imagines, *διὰ τῶν αὐτῶν* iis numina I Daemones. Bonus Gaulminus primum ipsas imagines vere a Daemonibus infestas credidit, porro non omnium prorsus animantium species isto modo simulacris expressas ab Aegyptiis putauit, et hinc factum esse tradidit, vt, quorum animantium formas imaginibus redditae colerent, in eo-

carum et, quod fere semper iunctum his fuit, astrologiarum ineptiarum studium vehementer illis cordi fuisse, non vnus Plinii auctoritate constat, (*) verum illa potius, qua maior esse nequit, sacri Codicis fide. Neque est, quod miremur, gentem, quae aliquando caeteras omnes scientiae laude anteiuit, eo deuenisse vecordiae, vt in hoc denique impiarum nugarum studio princeps euaderet. Scimus, Aegyptios astrologiae, quae semper Magiae iuncta fuit, eo magis deditos fuisse, quo magis vera astrorum notitia, quam a praefagiendi studio numquam satis distinxerunt veteres, opus habebant. Vulgari autem generis humani vitio eo procliuiores semper in errores sunt mortales, quo magis ad politicas rationes illos semel retulerunt.

Nec Graecos philosophiae, nec Romanos grauitatis studium ab istis nugis immunes conseruauit. Quae publice receptae erant caerimoniae, vt in uni-

ver-
rum genus ope Daemonum quidlibet possent, in caetera non item. Hinc denique causam reddere conatus est, cur obstrepentes diuino viro Mosi Aegyptiorum Magi aliquot tantum animantium species incantationibus proferre potuerint. Caeterum vide, quae pro more suo i. e. erudite et solide hac de re disputauit magnum quondam huius Academiae ornamentum, b. Mosheimius ad *Cudworthum* p. 870. in *not.*

(*) L. XXX. c. 1.

XVIII

uersum idololatriae labe, sic permultae earum magicis contaminatae erant ineptiis. De singulis hic loci verba facere opus non est. At vero oraculorum fraudes ad magicas praestigias omnino pertinere videntur. Quae maiorum Deorum opera reddi perhibebantur oracula, huc pertinent ea de causa, quod spirituum ne ab ipsis quidem Idololatriis pro supremo Numine habitorum effata vanis religionibus elicere velle, id ipsum magicæ superstitionis pars est. Tum vero nonnullas in reddendis oraculis Daemonum, qui proprie vocabantur, partes fuisse credebant, neque solum bonorum, sed etiam malorum nonnumquam. (*)

Privatim quoque magicis artibus operam dedisse fatis multos inter Graccos, vel Pythagoraeorum exempla

(*) Pertinet huc, quod refert *Plutarchus de defectu oraculorum*, Pythiam aliquando malo spiritu impletam fuisse, idque ex asperitate vocis iudicatum esse. Oracula quidem in vniuersum sacerdotum fraudi superstructa fuisse, doctissimo *Dalio* lubentes largimur. Sed nihil impedit, quominus ob expositas a nobis causas ad magicas artes referantur. Etenim haec omnes fraudem hominum redolent, paucissimis tamen exemplis exceptis. Ita, quae ab Aegyptiorum magis Mosis temporibus peracta sunt, Iunimi Numinis peculiari permisso a malo Daemone peracta videntur; et eodem in numero habemus, quae facer *Codex de spectro*, quod Saulo Regi sese obtulit, memoriae prodidit.

pla comprobant; neque ab ipsius Pythagorae, qui, si quis unquam, vaser veterator fuit, ingenio abhorere haec videntur. Haud, sanior mens fuit Platonis recentioribus, qui cum aliis vitiis, tum etiam impudentia Philosophiae opprobrio fuerunt. Id quod uno, sed illustri exemplo iam sumus comprobaturi. Iulianum Imperatorem, cuius ingenium sponte in superstitiones pronum fuit, (*) nugis suis et mendaciis a Christiana religione seduxisse non contenti, eo denique impulerunt, ut sacrificulis, theurgis caeterisque magicorum deliramentorum magistris velut praetoriano quodam milite stipatus periculosissimam in Persas expeditionem, frustra dehortantibus peritis belli diebus, susceperet, in qua dignum temeritate exitum habuit.

Verum haec, ut grauiora et indigna, leuia tamen esse videntur praeter ista, quae a barbaris quibusdam Americae et septentrionalis Asiae gentibus designari nouimus, nefandae plane superstitionis facinoribus. Inter illas enim esse constat permultas, quae, licet summum Numen haud omnino ignorent aut negent, cultum amen illi praestent, minime. Harum nonnullae, quod a sanctissimi omnium officii religione plane declinauerint, eo sese nomine excusare posse credunt, quod,

C 2

re.

(*) v. *Amnianus Marcellinus*, L. XXV. c. 6.

XX

rebus humanis nimis infra dignitatem Numinis positis, ratio honoris illi habendi nulla iniri queat. Turpiorem adhuc excusationis causam allegant aliae; Deum quidem necessitate bonum esse et benignum, adeo, ut nequidem opus sit praesidium Illius precibus expetere: contra Daemones et mala immittere et bona largiri posse hominibus eorumque proinde benevolentiam honoribus et munusculis offerendis esse captandam. Quae quidem ingrattissimorum hominum sententia vix fidem apud lectorem habitura esset, nisi a gravissimo teste foret relata. (*)

Exposuimus paucis, et in angusta quasi tabula, errores a gentilibus in doctrina de spiritibus commissos: nec sane omnes, sed e magno numero nonnullos. Caeterum, ut, qua mente haec a nobis relata sint, Vobis, carissimi Cives, eo melius constet, coronidis loco quaedam adicienda esse indicamus. Omnes illos, quos exposuimus, similesque iis innumeros alios errores e Philosophiae dogmatibus perperam a Veteribus intellectis enatos esse, adparet. Quid igitur? An a philosophicis studiis prorsus discedere consultum esse ducemus, cum veritatis inuestigatio in arduo constituta, aberratio vero periculi plena sit? Haud sane displicere potest haec sententia quibusdam, quos et nostra aetate ab his studiis vehementer auersos esse nouimus. Sciant vero hi, id quidem in potestate omni-

(*) v. *Gmelini Itinerar. Sibiric. T. III.*

um esse positum, ut Philosophiae studium intermit-
tant et optimarum rerum cognitione destituantur:
minime vero, ut nihil unquam eorum, quae ad
hanc scientiam spectant, ad mentem accedere pa-
tiantur. Quantumvis negligenter a parentibus institu-
tus homo aliquam tamen philosophicarum veritatum
spectem videt et animo percipit: quam quo magis
solicite et studiose intuitus est, eo magis hallucinatur
sibi que ipse illudit. Inprimis vero id monemus, nul-
los fere maiore cum periculo coniunctos esse errores,
quam qui circa eam, quae de incorporea spirituum
natura agit, doctrinam committuntur. Hi enim flebilis
caussa fuerunt pessimae illius gentium a vero Numinis
cultu secessionis et, quae cum hac fatali quadam ne-
cessitate coniunctae sunt, omnis fere generis supersti-
tionum. Nec sufficit intra verba tantum confiteri se-
gregatas ab omni concretionem esse intelligentes naturas.
Fassi sunt hoc et Veteres: sed re ipsa haud satis pensitata
et perspecta ab erroribus materialismi, quem vocant,
immunes haudquaquam fuerunt. Hoc illorum gratia
monemus potissimum, qui doctores olim popularium
sunt futuri; ne satis esse putent, rem gravissimi mo-
menti historica tantum notitia percepisse. Hac enim
instructi multi nihilo tamen secus corporeas spiritibus
et mentibus humanis inesse putarunt qualitates, et omni-
no in materialistarum castris sese militare ipsi ignorave-
runt.

runt. Nostris vero facilem notatu methodum proponemus, qua qui uti voluerint, sine ullo negotio certi esse poterunt, an re vera simplicem et incorpoream spirituum naturam agnoscant, an vero subtili Materialismi veneno sint infecti. Itaque, quicumque figuram, superficiem aut magnitudinem sensibus dimetiendam, licet vel omnium minimam, spiritibus tribuant, eodem se implicitos sciant errore, quem in aliis ipsi damnant merito. Neque vero negamus, difficilis esse negotii, de spirituum natura multa animo volentem ab omni corporibus propria qualitate eam satis discernere: sed hac ipsa difficultate admonemur, ut ad hanc doctrinam animos adferamus cogitatione curaque intentissimos.

Et profecto nimis magna veterum superstitionum, ex peruersa de Daemonibus doctrina enatarum, pars in animis nostratium residet. Missis, quae in publicum nota sunt exemplis, nonnulla dabimus minus, quam rei grauitas postulat, adhuc animaduersa. Vulgus Metallicorum superstitionibus deditum esse sciunt ridentque omnes: verum nec, e quo fonte emanauerit, nec quam late pateat istorum error, satis habent perspectum. Ita v. c. quae de metallicis daemonibus illi somniant, fabulas esse nemo praeter ipsum vulgus dubitat. Sed Veterum haec Daemonologiae deberi, et illi inprimis, qui omnes corporum effectus ad spirituum vires retulit, errori, vix quisquam serio per-

perpendit. Miramur merito, hac nostra aetate nonnullis philosophorum hoc placere principium. Quasi vero vel ipsa resistendi potentia corporibus tribui posset, nulla omnino agendi vi instructis: aut spiritus summa licet contentione in corpora agentes efficere per haec quidquam possent, omnibus viribus carentia. Quodsi enim haec horum esset conditio, omnis spirituum efficacia nihil aliud praestare posset, nisi ut effectibus per corporum motum praestandis tamquam nihilo darent operam, i. e. nihil agerent.

Ille porro metallicis hominibus itemque venatoribus proprius et peculiaris loquendi mos, liuori aut etiam vano gloriolae studio tribui consuevit. Scilicet anxii homines, ne magna sua mysteria vulgo reliquorum hominum nimis facile palam fierent, aut arri facile ab aliis percipiendae aliquid de dignitate decederet, dicendi formulas excogitarunt a consueto linguarum genio plane remotas. Non negamus, hodie plurimos istorum hominum hac mente esse, ut inuidiae et vanae ostentationis ergo illum dicendi morem conseruare videantur, cum alii consuetudini solum obtemperent, ut tyranno suis viribus minime superando. Ipsa vero huius moris origo, rem penitus considerantibus, a superstitione petenda videtur. Hac inter alias opinione imbuti erant Veteres, ut Daemones, singulis orbis terrarum partibus praefectos, peculiaribus quibusdam vocabulis delectari, aliorum vero esse impatientissimos crederent.

ERTO

errori dedit illa, quae Logicis dicitur, non causae vt
causae fallacia. Hoc vel illo verbo casu vsus superstitio-
se religiosus quispiam negotium prospere vel secus ces-
sisse obseruauerat. Statim sic rationes subducere coepit:
hac dictione in gerendo negotio vtendum sibi esse, quam
Daemoni acceptam experientia comprobasset: illam
vero alteram angue peius et cane fugiendam. Leuia
haec videri possent, nisi omnino, quidquid superstitio-
nis reliquum est, graue et noxium esset habendum.

Verum de his in praesentia satis. Quod restat,
Vos, o Nostri, et vere Nostri! maiorem in modum
adhortamur, vt verae religionis studio vnice dediti in
illo angelorum et hominum Rege, aeterni Patris aeter-
no filio, Iesu Christo, spes Vestras omnes collocetis
Eiusque saluberrimis imperiis morem gessisse fundamen-
tum omnis fortunae Vestrae reputetis. Huius praesi-
dio res nostrae hucusque saluae fuerunt et incolumes:
huius prouidentia et clementia pacem patriae breui
redditum iri speramus: huius misericordia et satisfacti-
one pro nobis praestita freti in coelestes regiones, qua-
rum aequae ac terrenarum imperium ab aeterno Patre
sibi concessum obtinet, nos aliquando recipiendos pie
confidimus.

P. P. in Academia Iulia Carolina pridie festum
Michaelis, A. R. S.

MDCCLXI



153883

X 2286633 ✓

ULB Halle
007 138 997

3



R

ND 18




25
15

DVERSIONVM
IN
NOLOGIAM
TILIVM
SPECIMEN.

GRAMMA
MICHAELIS
S. MDCCLXI.

IN
IVLIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII
SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.



B.I.G.

Farbkarte #13